



19

JESV LABORANTIVM REFRIGERIO ADSISTENTE  
DISSERTATIONEM  
THEOLOGICO - HISTORICAM

DE

**PROPAGATIONE FIDEI  
PER REVELATIONES  
FICTAS**

Praxi Ecclesiae Christianae aliena,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS GVILIELMI BAJERI

S. THEOL. D. PROF. PVBL. FACVLT. THEOL.

h.t. DECANI,

*Dn. Patroni & Præceptoris sui omni observan-  
tia cultu æternum devenerandi,*

publicæ ventilationi sistit

AUCTOR ET RESPONDENS

**M. JOHANNES LEONHARDVS RÖSNERS**

ALTDORFFIO-NORICVS.

*d. XIX. Decembris A. C. MDCCLXXXVI. Dec. 1686*

JENÆ,

LITERIS JOH. ZACH. NISII.





DE O,  
PATRIÆ  
ET  
PATRONIS.

THEOLOGICO - HISTORICAM  
DSSERTATIONEM  
PROPAGATIONE FIDEI  
PER REVELATIONES  
DR. JOHANNES GUILLELMUS BAJERUS  
AUCTOR ET RESPONDENS  
M. JOHANNES LEONHARDUS RÖSNERUS  
ALTDORFHO-NORICVS  
d. XII. Decembris A. C. MDCCLXXV







I. N. J.  
DISPUTATIO

De

Propagatione fidei per Revelationes fictas

à  
Praxi Ecclesiæ Christianæ aliena.

§. I-



ùm certum sit, Benignissimum Deum esse causam & conditorem omnium rerum, ita credere fas est, omnia ejus Divinæ mentis consilio geri, & quodlibet ens ad certum finem dirigi. Nemo enim unquam quicquam ostenderit in hoc mundo, quod non sapienti ordine & planè imperscrutabili regatur, suum cursum finemque destinatum habeat. Cui autem cura hæc adscribi potest, quàm conditori illi, qui metam assignavit & vires concessit, quibus ad hanc metam perveniatur? ut meritò ob hanc paternam providentiam omnes creaturæ enarrare gloriam DEI necesse habeant, inprimis autem illa nobilissima, cujus gratia reliquæ factæ sunt, quam Deus imaginem suam vocare dignatus est, & cui uni ex omnibus corporeis amorem & cultum sui implantare voluit, viam & rationem monstravit, quomodo finem ab æterno præfixum, nempe salutem æternam, consequatur.

A

§.II.



## §. II

Propterea etiam Fons & Origo omnis boni statim primis hominibus vires connaturales sufficientissimas dedit, ut possent rectè cognoscere divinam essentiam, providentiam, & divina beneficia, Deumque sincere amare, fiduciam in illum ponere, & denique omnia, quæ ad cultum ipsi debitum, finemque ultimum consequendum necessaria erant, alacri animo præstare. *Habebat enim, inquit B. Mus. in Introduct. in Theol. Cap. II. p. 45. homo in statu integritatis Deum propitium, faventem & ad beatitudinem suo tempore sibi impertiendam propensum.* Vocantur autem vires illæ connaturales uno nomine *justitia originalis.*

## §. III.

Postquam verò Protoplastæ à patre mendacii se decipi passi sunt, similes Deo; fortassis si potuissent majores fieri voluerunt; itaque per amorem sui cœcum atque immodicum à Dei amore discesserunt: factum est per hoc grande & æternâ morte dignum peccatum, ut Deus justò judiciò, statim post commissum peccatum, perfectiones illas accidentales, quas ex mera bonitate humanæ naturæ superaddidit, rursus auferret. Hinc intellectus hominis excœcatus de Deo minus rectè judicabat, & de rebus spiritualibus falsa judicia ferebat: voluntas magis prona erat ad prosequendum odiò creatorem suum; quàm diligendum & colendum: appetitus sensitivus, antea imperio voluntatis subjectus, nunc superioribus facultatibus debitum obsequium recusabat. Verbo: Totus homo erat intus vitiat, & à complexu Divini favoris longè separatus.

## §. IV.

Sicut autem Adam communis parens & radix omni-



um hominum, si in statu integritatis mansisset, justitiam illam originalem ad posteros propagasset ( siquidem donum illud non personale, sed naturale fuit ) ita amissio ejus, & exinde proveniens peccatum, ad omnes ex ipso descensuros se extendebat, & tota natura humana in eo vitiabatur; non aliter, quam omnes futuri fructus vitia- ti sunt in vitio seminis aut radicis, ut propterea quilibet homo carnaliter genitus peccaminosus scilicet, Deo exo- fus existat, ipsumque sibi valde iratum habeat: quomo- do autem ira hæc sedari queat, ei non apparet, siquidem lumen naturæ obtenebratum, nullum remedium suppedi- tat, neque modum ostendit, quomodo peccator cum Deo in gratiam redire, & in eo salutem æternam consequi possit.

§. V.

Attamen cum homo non ad hanc, sed ad alteram vi- ram sit conditus; finis ejus primarius in hac vita erit re- ditus ad Deum, vel conjunctio cum Deo. Verum cum ho- mo peccator ( ut ex supra dictis patet, ) nesciat, quomo- do sibi accedendum sit ad Deum, aut quomodo Deo jun- gi possit, ne igitur scopo bonoque suo frustretur, aut fru- strâ conditus esse dicatur, via peculiaris quærenda est, quæ ad Deum ducat, & ex qua consequatur hominis salus. Atq; hæc consuetô nomine vocari solet *Religio*.

§. VI.

Quoniam verò Religio in statu naturæ corruptæ ni- hil aliud est, quam recta cultûs divini forma aut ratio, quô homo Deo reconcilietur ei que adhæreat & serviat, tendens hæc via ad suam salutem: salus autem hæc, seu æterna beatitudo, à nullo alio ente, quam æterno & infinito, conferri potest; ita etiam ratio illius cultûs, per quem reconciliamur atque unimur Deo ad nostram salutem, à





nullo alio ente, quam solo Deo monstrari potest. Neque enim creatura è statu sibi connaturali in deterius lapsa, eò assurgit, ut intelligat, qualis & quantus honor creatori offenso debeatur. Tanta perfectio non amplius cadit in hominem, ut Deum rectè cognoscat: colere autem Deum nemo potest, nisi cognoscat: cognoscere nemo potest nisi quatenus sese ipse retegat; ac proinde, quis ei cultus conveniat, nosse nemo potest, nisi quantum in suo verbo in suis oraculis, sese revelare dignatur. Vid. *Morneus de Verit. Christ. Rel.* cap. XX.

§. VII.

Est igitur principium cultus Divini cognoscere Deum: & hoc competere debet intellectui humano. Sicuti autem finem, quem per cultum illum divinum quaerimus, non acquirimus, cognitione illa solà, quæ tantum est de Deo naturaliter cognito, scilicet quod sit unus, simplex, æternus, justus &c. nondum autem quòd reconciliatus, aut quâ ratione reconciliandus sit, cognoscimus: ita necessaria est intellectui peculiaris illuminatio, quâ duce, Deum sibi bonum & gratiosum esse intelligat, & voluntati amplectendum exhibeat; Voluntas verò in hoc exercent munus suum, ut id, quod intellectus cognovit, velut bonum perfectissimum apprehendat, fiduciam in illo locet & in Deo propitio acquiescat: unde porrò fluant alii actus mentis & voluntatis, quibus verus Deo exhibetur cultus.

§. IIX.

Ad actus a. illos tam intellectus, quàm voluntatis, virtute propriâ eliciendos, cum facultates animæ humanæ in hoc vitæ statu planè sint emortuæ; altior & sublimior vis accedat oportet, quam quæ ab homine provenire potest. Placuit itaque supremo Numini, ex magna misericordia, im-



imbecillitati tali succurrere per supernaturalem revelationem, quâ toti humano generi in tenebris spiritualibus jacenti consulatur; voluntas DEI de cultu sibi præstando significetur, præsertim ut peccator habeat & amplectatur & offerat, quô justitiæ divinæ satisfiat & peccator DEO reconcilietur. Ex hac etiam homo peccator addiscere potest & debet, quæ omittenda & quæ facienda sunt: siquidem sola hæc intellectum humanum illuminat ad rectè intelligendum spiritualia; & voluntatem allicit ad cupidè volendum ea, quæ sunt perfectissima, & quæ conducunt tendenti ad beatitudinem æternam; ut adeò omnia, quæ ad cultum divinum pertinent, non certè ab homine spiritualiter mortuo, sed ab ipsa perpetua luce, DEO, dependeant, & via, quâ ad DEUM itur, à DEO monstretur, necesse sit.

IX.

Non abs re erit, breviter hîc monere, quid de Naturalistis hodiernis sentiendum sit: qui homines extra Ecclesiam viventes, & scripturam ignorantes, tamen ductu luminis naturæ, eique innixæ Theologiæ naturalis, cultum divinum sufficientem DEO præstare posse, audacter asserunt: quos inter præcipuè eminent *Edoardus Herbert de Cberbury*, Baro Anglus, et *Stephanus Curcellæus*, aliàs sectæ Remonstrantium addictus; ex quibus ille quinque articulos cultum DEI concernentes constituit, quorum præcipui sunt hi duo: I. *virtus cum pietate conjuncta præcipua pars cultus divini habita est & semper fuit.* II. *vitia ac scelera quæcumque expiari debent ex pœnitentia.* Credit enim author horum articulorum, omnes quidem homines, peccato contaminatos, iræ divinæ obnoxios & ignis æterni reos esse, pœnitentiam tamen esse sufficiens remedium placandæ iræ divinæ, quod ipsum lumen naturæ suppetet.



ditet. Verùm cum pœnitentia hîc nil aliud, quam dolo-  
rem de peccatis & anxietatem, ex agnitione illorum, im-  
portet; & moralis tantum peccatorum patratorem retra-  
ctatio sit, sufficiens ea minimè est, quia solum concer-  
nit peccantem, ita, ut ex parte sui peccata admissa non  
habeat rata, interim nondum satisfactum est illi, contra  
quem peccavit: unde *B. Musæus* in dissertat. de insuff. Lum.  
nat. ad salut. contra Edoardum Herbert. dicit: *Peccata  
præter peccantem concernunt etiam Deum, & ob violatum  
ejus jus, cum injuria & offensa ipsius conjuncta sunt; & sta-  
tim annectit: Commune autem inter se habent omnes in u-  
niversum actiones morales, quæ alterius tertii jus quoddam  
concernunt, ut ab agente, licet seriò pœnitente, rescindi &  
aboleri non possint, sed tantisper eum stringant, dum juri  
tertij fiat satis.* Subjungit deinde quædam exempla quæ  
videri possunt. l. c. §. XLVI. Porrò ex communi consensu  
gentilium patet, quod quælibet peccata suapte natura in-  
ducant culpam, eamque reatus pœnæ tanquam insepara-  
bile connexum sequatur. Hinc si peccator cum DEI læ-  
sa Majestate in gratiam redire vult, necesse est, ut reatus  
pœnæ tollatur: hoc autem nullo modo fieri potest, nisi  
satisfaciendo, ad quod tamen pœnitentia illa, ut ex antè  
dictis patet, planè insufficiens est. Quemadmodum e-  
nim, vi divinæ & naturalis legis, illata hominibus injuria  
aut contumelia solà delinquentis pœnitentiâ sive retracta-  
tione morali expiari non potest; multò minus illata Maje-  
stati DEI summi injuria vi ejusdem legis solà peccantis pœ-  
nitentia sive retractatione morali expiari potest. *Quide-  
nim?* (sunt verba B. Musæi l. c. §. LI.) *DEUS Glorie & Ma-  
jestatis suæ magis prodigus est, quàm homo, ut injuria huic  
illata absque satisfactione expiari à pœnitente non possit,  
possit tamen absque satisfactione, solà peccantis pœniten-  
tia*



*tia expiari injuria Majestati DEI summi illata?* Cum igitur læso Deo satisfacere, sit præcipuum cultus Divini, quò absente, nullus DEO placens cultus exhiberi potest: quomodo autem satisfactio hæc fieri possit, ex lumine naturæ nullo modo monstrari potest: quid superest, nisi ut dicamus, cultū illum, quem lumen naturæ dicitur, ad salutem esse insufficientem? §. X.

Quod autem ad cætera attinet, quæ ad cultum divinum à Naturalistis referuntur, *virtutem, inquam cum pietate conjunctam*; sciendum est, in omnibus actionibus moralibus necessariò respiciendum esse ad finem, cujus gratia omnia fiunt, deinde ad Subjectum. Quod si vero virtutes gentilium sive non-renatorum ex fine æstimantur, manifestum erit, illas rationem cultus Divini habere planè non posse, quia Deum, tanquam finem objectivum cultus, ejusque gloriam ultimò non respiciunt; nulla autem operatio animæ cultus divini nomen meretur, nisi in quantum Deum, velut objectum suum includit. Gentiles contra propriam quærunt gloriam, & nullum alium finem magis intendunt, quàm hunc, *ut videantur ab hominibus*: quod etiam Christus in Pharisæis reprehendit apud *Matthæum c. VI.* Quoniam igitur finis gentilium in operatione virtutum malus est; certè operatio illa bona & cultui divino conveniens esse nequit. Deinde dixi, Subjectum etiam debere respici in actione morali, an capax sit ad hoc vel illud secundum rationis dictamen agendum, ut finem propositum consequatur. Hic autem Subjectum cultus divini debebat esse homo capax tantæ cultus & tantis viribus instructus, quibus cultus Deo debitus possit deferri: destituitur autem hisce homo, neque tantum virium pro statu naturæ corruptæ habet, ita ut potius nec velle nec perficere possit bonum, sed ad bonum omne emortuus sit;



fit ; unde tutò concludere possum : quia Subjectum incapax est & vitiosum, etiam ex illo emanantes operationes licet aliquando quoad substantiam actus bonæ & virtuosæ sint, tamen propter subjectum, unde procedunt, corruptum, & ob corruptionem hanc Deo exosum, rationem cultus divini nullo modo obtinere posse : cum Deo non placeant operationes hominis lapsi, propter dignitatem suam in se ; sed requiratur, ut persona ipsi reconciliata sit prius, & novis ac spiritualibus viribus ad benè operandum divinitus donata : persona verò à revelatione divina aliena ex lumine rationis sibi arrogare minimè potest, quòd Deo sit reconciliata : ergò etiam fateri cogitur, opera sua DEO displicere, neque ad rationem cultus divini posse assurgere.

§. XI.

Posito nunc, existere revelationem divinam supernaturalem ; Religionem verò rationis esse insufficientem, prout etiam reverà nulla gens reperitur, quæ in hac subsisterit, & non ad revelationem, etiam si falsam provocaverit : (e.g. Gentilis ad oracula, auguria : Judæus ad Talmudem, Turca ad Alcoranum) necesse est, revelationem illam supernaturalem, quæ verè divina est, esse perfectam & sufficientem. DEUS enim, à quo revelatio illa dependet, est Ens Perfectissimum. Unde revelatio imperfectionem involvens ab ipso præsumi non potest. Deus est Sapientissimus, qui causas & effectus omnes modo admirabili ad suum finem disponere novit : itaque tanta absurditas in revelationem ejus cadere non potest, quàm finis per revelationem intentus acquiri non possit. Deus est immensæ bonitatis erga genus humanum, & providentia ejus divinã præstat huic omnia abundè, quæ vitam terrenam ejusque bonum concernunt ; unde absurdum fuerit, ipsum negligere





gere ea, quæ faciunt ad immortalem vitam: quod tamen fieret, si revelatio divina non esset sufficiens ad consequendam beatitudinem. DEUS est justissimus & sanctissimus, qui omnia, quæ recta atque bona sunt, æternæ suæ legi conformiter vult, mala verò atrociter punit; hinc sine dubio revelatio ejus vitia omnia severè prohibebit, virtutes omnes commendabit. Denique propter Providentiam DEI summam etiam revelatio hæc, ut sufficiens principium cultûs divini, nunquam est pessumitura; sed tamdiu edocet, quamdiu homines illâ opus habebunt. Per revelationem autem hanc intelligo illam, quâ Spiritus S. ex mera gratia per homines certos & sanctos, quorum intellectum illuminavit, alios, post lapsum, voluntatem DEI docere, & quæ ad salutem scitu sunt necessaria, in cordibus eorum obsignare voluit, inde à primis hominibus ad præsentem ætatem & ad finem mundi ultimum.

§. XII.

Quemadmodum verò ex adductis rationibus patet, quod revelatio illa divina tantâ perfectione gaudeat, ut sufficienter satis homini monstret, quæ credenda, quæque agenda & omittenda sint, ita eadem quoque efficax est ad generandum vel producendum in hominibus assensum ex parte intellectus, & propensionem ad obsequium ex parte voluntatis & potentiarum inferiorum. Quamvis enim revelatio supernaturalis, non æquè, uti id, quod lumen naturæ dicitur, evidens sit, & rerum ipsarum, quas continet, velut nativâ luce ac perspicuitate, intellectum ad assensum determinet; tamen omninò certum est, Deum ipsum sua virtute ac supernaturali concursu atq; operatione defectum evidentiæ istius supplere, ut nihilominus revelatio sua, tanquam divina, ab hominibus agnosci, eique assensus planè certus commodari queat: imò ut voluntas supernatura-

B

liter





liter afficiatur, pulsetur ac flectatur, ut ipsa intellectui imperet assensum, atque ad ea, quæ sibi in revelatione illa proponuntur, amplectenda aut præstanda se accingat.

§. XIII.

Sic autem denique rectè concluditur, stante perfectione revelationis divinæ ad salutarem hominum informationem, non esse opus, ut fingantur aliæ revelationes & pro divinis venditentur. Quid enim causæ erit, ut addantur mendacia, quando revelatio, quæ verè divina est, ad finem illum sufficit, & vim, qualis & quanta requiritur penes se habet, ita ut, eâ in usu constitutâ, nihil desit homini ad cultum DEO placentem exhibendum, DEI-que gratiam & salutem æternam consequendam.

§. XIV.

Neque est quod dicas; vitio hominum fieri posse, ut qui veris revelationibus non ita attendunt, sicuti debebant; aliâ viâ ac dolô quodam bono adhibito, disponantur, ad veras revelationes animo magis attentô & obsequioso recipiendas: prout parentes ac præceptores, filios ac discipulos, salutaribus monitis non ita, ut par erat, auscultantes variis deceptionibus ad fidem dictis, & obsequium jussis præbendum, laudabili solertiâ perducere consueverint. Quam in rem notum est Quintiliani dictum; *Multa utilitatis gratia fingi, ut puerorum ætas improvida ludificetur.* Sanè homines maturæ ætatis puerorum instar haberi, qui intelligendi viribus non valent; & μορμολύκεια illis objici, alienum est ab officio, quò homines hominibus obligantur. Et si maximè κρύψεαι illas Politicorum huc referas, quibus isti, qui rempublicam moderantur, subditos circumvenire & in obsequio continere, atque ad ea, quæ aliàs ægrius obtinentur, prom-  
tius





tius præstanda flectere solent: observandum tamen est, in religionis negotio non idem valere aut requiri. Quamquam & in civilibus sæpè sub nomine doli boni latent, ac specie quadam honesta ornantur, quæ revera vitiosa sunt; defendi autem seu excusari minimè possunt.

§. XV.

Quod si nihilominus illi, qui in fingendis & populo persuadendis revelationibus occupantur, vel ipsi opinentur, vel hòc prætextu erga alios utantur, quòd obligati sint ad hominum animos, quoquò modò lucrandos & adigendos, ut veram revelationem insinuari sibi patiantur: ex adverso sciendum est, pastores animarum & fidei propagatores adstrictos potius esse, ut eò tantummodo atque ordine, quò DEUS ipse in hoc negotio utendum docuit, rem agant; non autem, quasi plus sapientes, aut defectum methodi sibi à DEO præscriptæ suâ solertia suppleturi, tale quiddam ausint. Nam si maximè illi, quibus doctrinam fidei ex vera revelatione sincerè proponunt, non patiantur se doceri aut converti; non tamèn ideò culpa in ipsos præcones, qui quod suum est egerunt, redundabit: sed perditio auditorum ex ipsis erit. Contrà autem, si revelationi verè divinæ aliis persuadendæ fragmenta hominum nomine revelationis divinæ commenderint: gravis omninò illis ratio reddenda incumbet: quam neque unquam reddere poterunt.

§. XVI

Nempè non solùm necessaria non est ista opéra, sed nec ullatenùs placere eam DEO, dici aut rectè credi potest. Revelationes enim falsas pro veris venditare, est nomine DEI abuti, aut sumere illud in vanum. Notum autem est, quod DEUS ipse dixit: *non habiturum se illum insontem, qui nomen suum in vanum assumserit.*



Exod. XX, 7. Et quando omne mendacium Deo, veritatis auctori, exosum est, & iram ejus ac poenam in mentientes derivat: quidni illud DEO pro aliis displiceat, quando homines divinam auctoritatem dictis suis aut aliorum falso præfigunt?

§. XVII.

Ita quicquid de eo sit, quod hoc medio seu artificio perducere homines ad veram fidem amplectendam posse putatur: tamen observanda nobis erit regula illa, quæ statuitur: non esse facienda mala, ut inde eveniant bona.

§. XVIII.

Sed neque apparet, unde ostendi possit, veram fidem ac religionem tali via posse propagari. Fides enim vera, semper revelatione divinâ verâ ac solâ, tanquam motivo genuino & ratione assentiendi propriâ, nititur. Fides econtra revelationibus fictis & falsis innixa, auctoritate & virtute divinâ carentibus, hoc ipsò, quod motivo genuino destituitur, non tam fides est, quam fidei simulacrum. Revelatio enim ficta non movet virtute divinâ, tanquam sibi communicata, intellectum, ut assensum præbeat iis rebus, quas ipsa in se continet; nec voluntatem, ut ea amplectatur.

§. XIX.

Tantum itaque abest, ut homines, talibus revelationibus auscultantes, fideles fieri possint, aut in fide confirmari, ut potius in errorem inducantur: qui nisi mox agnoscatur, magis nocere potest; agnitus autem deponi omninò debet. Nam si vel maximè fingantur revelationes ad persuadendum id, quod aliàs reverâ divinitus revelatum est; malè tamen fit, si assensus credentis non tam resolvatur in veram revelationem, quam in falsam,  
velut





velut rationem assentiendi propriam, imò ultimam, in quâ sistat intellectus. Et quia revelationes, quæ finguntur, vix satis tuentur speciem suam, verùm haud rarò produnt sese, aut aliunde agnoscuntur esse falsæ: ideò metuendum est, ne agnitâ fraude, illud, quod sub ratione talis revelationis creditum est, hac eversâ prorsus negetur; atque adeò fiat, ut homines à vero fidei principio ac fundamento abducti, falsis autem revelationibus se deceptos agnoscentes, omnem revelationem vel suspectam habeant, vel repudiant: eâque viâ Atheismus aut Scepticismus remis velisque invehì videatur.

§. XX.

Quod si etiam meminerimus, quantoperè Satanas, *qui in veritate non stetit & mendacii pater est*, Joh. IIX, 44. tali occasione delectetur, quâ sibi liceat homines in negotio fidei reddere dubios, aut eò propellere, ut fidei naufragium faciant: nonne credamus, eum ludis istis sese immiscere, qui non rarò in tragoediam miserè desinunt?

§. XXI.

Certè si praxin ipsam seu experientiam & historias consulamus, facilè patebit, revelationes ejusmodi, quæ pro divinis falsò venditabantur, non ex sincera intentione promovendi aliorum salutem proficisci consuevisse; sed alios planè fines fuisse intentos, ita ut sæpè tantum turpis lucri causa fingerentur: aut si impostores falsam doctrinam, quam profitentur, ex vera revelatione divina tanquam principio infallibili probare & palliare non possent; contra conscientiam & sanam rationem excogitarent revelationes nescio quas sibi factas: ut haberent, quò falsas suas opiniones, si non sapientioribus, tamen simplicioribus obtrudere possent; quamvis hâc ratione verum prin-





pium, ex quo fides vera dependet, oculis eorum subducere-  
tur, ingensque tandem numerus animarum Diabolo ad  
cultum consecraretur.

§. XXII.

Adeò antiqva quidem est hæc consuetudo revelatio-  
nes fingendi, ut postquam Deus in his terris Ecclesiam  
sibi congregare cœperat, crescente hominum numero mox  
introduceretur à Diabolo. Qui enim peregrinos cultus,  
aut religionem quamlibet ab unâ primâ & sincerâ, quæ  
divinitus præscripta erat, abeuntem, persuadere aliis la-  
borarunt, certè sub ratione revelationis divinæ, variis  
signis ac motivis credibilitatis munitæ, commendare eam  
studuerunt. Et quemadmodum *DEI simiam esse Diabo-  
lum*, veteri ac vero verbo dicitur: sic non abs re existima-  
tur, Cainitas & Canaanitas falsarum revelationum præsti-  
giis irretitos, atque à vero Dei cultu in idololatriam præci-  
pitatos fuisse. Inprimis autem huc referri possunt Oracula,  
ad quæ Diabolus homines ablegavit, ut si quid mali ipsis  
accideret, ex illis quærerent liberationem; si quid periculi  
immineret, illa in consilium, quomodo res adversæ averti  
possint, adhiberent; aut si quid dubiū haberet eventum, ut  
ab oraculis explorarent. Itaque variis adhibitis ceremoniis  
à Deo, quisquis etiam ille sit, responsionem petebant: & cum  
illa promptè responderent, ac sæpè vera dicerent, (multis  
enim sic evenit, uti oracula prædixerunt, licet non sem-  
per) istis responsis homines non tantum fidem habebant  
maximam, sed & mirum in modum ea venerabantur, ita  
ut nihil in majori existimatione apud illos esset, quàm o-  
raculorum responsa. Et quid mirum? quia homines su-  
perstitiosi persuasi erant, loca illa, ubi oracula daban-  
tur, Numinibus esse plena, unde absconditissima-  
rum rerum cognitionem consequi possent, ac si quid ora-  
cula





cula dicebant, id verum & certissimum esse credebant. Hinc Prudentiores etiam, qui in summa dignitate erant constituti, videntes, se aliàs tantâ auctoritate non polle- re, ut populum ad officium & obsequium cogere possent; optimè autem intelligentes, quantum præstare possit me- tus Numinis in animis hominum, ad obedientiam flectendis; hoc remedio tanquam ratione politicâ u- si sunt. Nempe iussâ obsequii civilis petebant à Deorum responsis, & persvadebant civibus, se leges suas à Diis ac- cepisse, vel ab oraculo, aut DEO quocunque, compro- batas esse: qua propter exquisitum obsequium ipsis sit præ- standum. Simul etiam hâc ratione speciem præ se fere- bant, quasi mandato divino potius, quàm proprio ausu ad imperandum accesserint: unde tali magistratui resi- stendum non sit. Atque ita deinde effecerunt, ut legibus humanis divinâ auctoritate licet fictâ roboratis credulus & superstitiosus populus omne obsequium præstaret.

§. XXIII.

Præcipue in hanc rem famosa sunt exempla *Minois* & *Lycurgi* & *Zaleuci*, quorum ille Cretensis suis leges, velut à Jove acceptas; iste Lacedæmoniorum civitati, tanquam Apollinis consiliò compositas; hic à Minerva tra- ditas Locrensis, obtulit & persvasit: testibus *Platone* in *Minoe*, *Herodoto* Lib. I. *Cicerone* Lib. II. de Leg. *Justino* lib. III. cap. III. n. 10. *Æliano* lib. II. var. Hist. Neque est, cur dubitemus, ista ab illis ficta tantùm fuisse: quando *Valerius Maximus* expressè ea, tanquam *simulata Religionis exempla* memorat lib. I. C. II. Ex quo etiam constat, Roma- ni Populi gubernatores morem illum imitatos, atque in- primis *Numam Pompilium*, ut Romanum populum sacris obligaret, Deæ *Ægeriæ* monitis sese instructum finxisse. *ibid.*, n. 1. & testantur *Livius* lib. I. cap. XV. *Plutarchus* in





in vita, *Florus* lib. I. cap. II. n. 2. & cap. II. n. 3. Apud *Florum* autem plura videri possunt exempla similia, *Salondici* lib. II. c. XVII. n. 14. *Euni*, *Syrii* lib. III. c. XIX. n. 4. seqq. *Domitii* lib. IV. c. XII. n. 16. apud *Valerium* quoque l. c. inter Romana, *Scipionis* Africani, *L. Sulla*, *Q. Sertorii*; & inter externa *P. Pisistrati*: apud *Justinum*, *Mida* Phrygum Regis lib. XI. cap. VII. apud *Tacitum*, *Drusi*, lib. I. Annal. XXIX. apud *Diodorum Siculum* *Mnevis*, lib. II. cap. XCIV. Ac *Diodorus* quidem, cum *Minoem* & *Lycurgum* idem factitasse memorasset, verba hæc subjicit: *Id commenti genus* (revelationes simulandi) *apud plures quoque alias gentes adhibitum, multorum causam honorum persuasis extitisse ferunt. Nam apud Arianos Zautraustes bonum genium; apud Getas Zamolxis communem Vestam, apud Judæos Moses Deus, qui Jao dicitur* (ita homo gentilis de sacris alienis loquitur) *legum suarum auctorem finxisse perhibetur: sive, quod admirandum prorsus est divinum esse judicarent commentum illud, quod in commodum societatis humana exiret; sive quod vulgus ad majestatem, & potentiam illorum, qui leges invenisse dicerentur, respectans, dicto magis audiens fore existimarent.*

§. XXIV.

Non possunt profectò non dolere animis, qui veram revelationem, per *Mosen* olim divinitus factam, (multò magis autem qui excellentissimam per filium DEI, *Jesum* exhibitam) agnoverunt; ac non tantum ex signis ac motivis credibilitatis quæ vocant: sed imprimis, quòd divinam operationem intra sese experirentur, certi redditi sunt, eam à DEO profectam esse: quando simulatæ Religionis exemplis religionem verè divinam accenseri vident. Sed hi enim verò fructus nasci solent, quando figmenta





menta hominum aut Spirituum malorum veræ religionis speciem induunt, neque satis tueri possunt: prout inter ipsos gentiles accidit, ut *Diagoras*, *Theodorus*, *Leucippus*, *Democritus*, *Epicurus* & *Lucretius* putarent, terroris ac metus tantum gratiâ religionem à sapientibus esse institutam, cujus ductu homines imperiti à peccatis abstinere: quam sententiam memorat etiam *Cicero* de Natura Deorum lib. I. cap. 42. & ad eam accedit *Euripides* apud *Plutarchum* de placitis Philos. Lib. I. cap. 7. conf. *Lactantium* de ira DEI cap. 10.

§. XXV.

Interim certum est, morem illum fingendi revelationes, atque his mediantibus homines ad certam Religionis formam alliciendi, placuisse etiam hæreticis Christianum nomen profitentibus, qui vel ambitionis vel avaritiæ causâ, erronea dogmata in Ecclesiam introduxerunt, & rudem populum vix ex impiis ceremoniis cultus Ethnici ereptum aliis dogmatibus falsis, impiis & salutis hominum adversantibus imbuetunt: atque ut eo magis fides haberetur his, quæ ore ipsorum aut scriptis proferebantur, ea divinitus sibi revelata esse jactitabant.

XXVI.

*Simonem* illum Hæreticorum Patrem, novimus, exercuisse magiam ac gentem dementasse *Samaritæ*, & dixisse se esse magnum quempiam, teste *Lucâ* in Actis Apost. cap. VIII. v. 9. 10. 11. Plura autem de magia *Simonis* videri possunt apud *Irenæum* lib. I. adv. Hæres. cap. 20. *Eusebium* Lib. II. Hist. Eccl. cap. 13. *Epiphani* Lib. I. Tom. II. *Theodoretum* Epit. de Hæret. fab. & si placet, apud *Nicephorum* Lib. II. Hist. Eccl. c. 27. *Baronium* quoque (ex *Anastasio Nicæno*) tom. I. annal. ad A. C. 68. num. 22. Atque is quidem hæc ratione se Prophetis prætulit, & dicta sua tanquam ipsius DEI

C

ha-





haberi voluit; existimans miraculorum patratiōe non minore existimationem, quam Jesus paraturum esse apud homines, teste Origene L. V. contra Celsum p. 272. De discipulis autem Simonis scribit Irenaeus Lib. I. c. XVII. p. m. 104. attulisse eos innumerum Apocryphorum & Scripturarum notbarum multitudinem, ut stupefacerent amentes & ignaros verarum literarum. Alibi docet, gloriari illos, se plus quam alii de universis rebus cognovisse, cum ex iis, quae scripta non sunt, pronuncient. Lib. I. cap. I. pag. m. 32.

§. XXVII.

Solent autem hi discipuli Simonis, ab Irenaeo ipso Valentinianis accenseri: de quibus alias constat ex Tertulliano contra Valent. cap. III. p. m. 449. Si aliquid novi adstruxerint, revelatiōem statim appellant praesumptionem, charisma ingenium. Et de Marco, Valentini Sectatore, sed peculiaris sectae Marcitarum conditore, novimus, quod finxerit, quasi suprema Tetras ex iis locis, quae nec in aspectum cadunt, nec ab ullō homine appellari possunt, muliebri forma ad ipsum descenderit (neque enim masculani ejus vim mundum ferre potuisse) atque & quanam esset, indicaverit, & rerum omnium ortum, quem nemini unquam nec Deorum nec hominum declaraverat, ei soli exposuerit. Vid. Iren. Lib. I. cap. X. p. m. 76. Caeterum de Menandro memorant Eusebius Lib. IV. cap. VII. & Theod. de haeret. fab. Lib. I. §. 4. quod novos ipse Prophetas excogitaverit ad errorem suum nobilitandum, eosque Barcabam & Barcoph appellaverit. De Cerintbo referunt Euseb. Lib. III. cap. XXII. & Nicetas Thes. orth. fid. Lib. IV. haeres. 37. quod Traditiones à nescio quo magno Apostolo revelatas & conscriptas, jactitaverit. De Ebione, Epiphanius T. II. haeres. XXV. scribit, quod fictitios Apostolorum actus &

Cir-





Circumtionem Petri in pretio habuerit. De Nicolaitis Phila-  
strius docet, quod Evangelium consummationis, & visiones  
inanes & plenas fallacia, & somnia diversa asseruerint.  
Catal. Hæres. n. 33. p. m. 16. Epiphanius autem tradit, eos li-  
bros quosdam in nomine Jaldabaoth efformantes confinxis-  
se. Tom. II. Hæres. XXV. De Gnosticis, colluvie Hæreti-  
corum, apud eundem legimus, quod Interrogationes  
quasdam Maria ediderunt, quod in prædictum Jaldabaoth,  
& in nomen Seth multos libros, & alias revelationes ipsius  
Adam proposuerint: alia item Evangelia in nomine disci-  
pulorum scribere ausi fuerint l. c. De Archonticis testa-  
tur Theodoretus, quod Libros quosdam à se confictos Pro-  
phetarum revelationes vocaverint. lib. I. de hæret. fab.  
c. XI. Cajanos quoque Evangelium Jude suppositum cir-  
cumtulisse; aliumque librum de ascensu Pauli in ter-  
tium cœlum finxisse; Epiphanius narrat Lib. I. Tom. I.  
hæres. XXXIIX. De Sethianis idem recenset, quod libros  
quosdam ex magnorum virorum nominibus conscripserint,  
ex nomine quidem Seth septem libros esse dicentes, alios  
verò libros alienigenas: sic enim, inquit, vocant. Alium  
autem ex nomine Abraam, quem & revelationem esse  
dixerunt; alios ex nomine Mosis, & alios aliorum. hæres.  
XXXIX. De Marcione similiter, quod locò Evangelio-  
rum authenticorum ipse sibi fecerit Evangelium Aposto-  
licum. hæres. XLII. & Clemens Alexandr. de eo scribit,  
quod jactaverit traditiones ex Apostolis, Matthia præfer-  
tim, acceptas. Lib. VII. Stromat. fol. 765. De Tatia-  
no atque Encratitis, quorum is auctor fuit, Clemens lib. III.  
fol. 465. & Theod. lib. I. de fab. hæret. c. XX. testatur,  
quod Scripturæ Sacræ adjunxerint scripta adulterina Tho-  
me & Andrea Apostolorum. Montanus ac due prophetissæ  
ipsius, Prisca & Maximilla, adventum Spiritûs Sancti à



*Domino promissum, in se potius, quam in Apostolis ejus  
 fuisse asseruerunt. Secundas nuptias, quas pro fornicatio-  
 ne habebant, ab Apostolo Paulo ideò permissas esse dixe-  
 runt, quia ex parte prophetabat. Nondum enim tunc ve-  
 nisse, quod perfectum est. Hoc autem perfectum in Mon-  
 tanum & ejus Prophetissas venisse. Vid. August. de Hæres.  
 ad Quod vult Deum cap. XXVI. p. m. 146. Sabellius & asse-  
 ciæ ejus Evangelium secundum Ægyptios jactarunt, in quo  
 Filius revelaverit discipulis, eundem esse Patrem, eundem  
 esse Filium, eundem esse Spiritum Sanctum: teste Epipha-  
 nio tom II. hæres. LXII. Manes, & ab eo dicti Manichæi,  
 libris Scripturæ, quos corruperant, substituerunt Actus  
 Apostolorum, quos ipsi confixerant: uti memorat Au-  
 gust. de fide adv. Manich. cap. XXXIIX. & Philastrius hæ-  
 res. LXXXVII. p. m. 40. indicat, Actus Andreæ, Johannis,  
 Petri & Pauli, ab illis fictos & exhibitos fuisse. Quan-  
 quam ipse Manes sese jam Christum, jam Spiritum San-  
 ctum, jam Apostolum esse commentus est. Vid. Job. Zo-  
 naras Tom. II. Annal. p. 81.*

§. XXIIIX.

Ex adversò Christiani sinceri verâ revelatione divi-  
 nâ in sacris Scripturis contentâ ita contenti fuerunt, ut  
 non solum religioni ducerent, fingere revelationes, ad ca-  
 ptandos hominum animos, aut ampliandam Ecclesiam  
 & propagandam fidem: ut potius illis, qui talia auderent,  
 manifestè contradicerent, ac palàm eos arguerent & pudefa-  
 cerent. De Apostolis constat, quòd Judæos, veram reve-  
 lationem non admittentes, neuiquam putaverint, fictis  
 revelationibus deliniendos aut occupandos esse; deseri au-  
 tem potius, tanquam genuini mediæ conversionis con-  
 temtores, posse ac debere. Ita enim Act. XIII. 46. illos al-  
 loquuntur: *Vobis necesse fuit primùm exponi sermonem  
 DEI: postquam autem illum repellitis, & indignos vos  
 ipsos*





ipſos decernitis aterna vitâ, ecce! convertimus nos ad gentes. Et quemadmodum Petrus Simonem Magum falſas revelationes afferentem graviffimè perſtrinxit; ita poſt ea tempora laudati Doctores Eccleſiæ, Tertullianus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Eufebius, Epiphanius, Philaſtrius, Auguſtinus, Theodoretus, Nicetas, Zonaras; ita recensent auſus aliorum, ut apertè improbent ac damnent: idque non ſolùm ideò, quòd dogma aliàs damnanda his commendari, agrè ferrent; ſed quòd morem ipſum revelationes fingendi ſimpliciter rejicerent.

§. XXIX.

Speciatim Hieronymus ex Tertulliano refert, Presbyterum quendam in Aſia, auctoritate Apoſtoli Pauli, conditum apud Joannem, quod auctor eſſet libri de itinere Pauli & Theclæ, & confeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe, L de Script. Eccl in Luca. Itaque ne intentio quidem quantumcunqve bona, excuſare tunc potuit à culpa, quando revelationes fictæ pro veris venditatæ fuerunt.

§. XXX.

S. Auguſtinus etiam, cum adverſus Donatiſtas ſcriberet, qui credendum ſibi putârunt, quia illa & illa mirabilia fecerit Donatus vel Pontius, vel quilibet alius; aut quia ille frater ſuus, aut illa ſoror ſua tale viſum vigilans viderit, vel tale viſum dormiens ſomniaverit: graviter in hæc verba erumpit: Removeantur iſta vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum. Ant enim non ſunt vera, quæ dicuntur, aut ſi hereticorum aliqua mira facta ſunt, magis cavere debemus: quod, cum dixiſſet Dominus, quosdam futuros eſſe fallaces, qui nonnulla ſigna faciendò etiam electos, ſi fieri poſſet, fallerent, adjecit vehementer commendans, & ait, Ecce prædixi vobis. Unde & Apoſtolus admonens, Spiritus, inquit, manifeſtè dicit, quia in noviffimis temporibus recedent quidam à fi-





de, intendentes Spiritibus seductoribus, & doctrinis demoniorum. Lib. de Unir. Eccl. cap. XIX.

§. XXXI.

Quoties autem vel adducendi essent alii ad fidem Christianam; vel religionis ipsius, quoad credenda atque agenda, partes plures paucioresve confirmari; vel controversiæ religionis decidi debebant: Scripturæ *Ἱεροπνεύσης*, Propheticæ atque Apostolicæ libris, tanquam principio pariter ac norma unicâ, utendum crediderunt pii veteres. Ita *Irenæus* Lib. III. cap. I. *Non per alios, inquit, dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futuram.* In ipso quoque Concilio Nicæno *Constantinus M.* Imperator Episcopos tunc præsentis, & fidem sinceram, remotis contentiõnibus (per *Arium* quidem excitatis) stabilituros, ita allocutus est: *Evangelici & Apostolici libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula planè nos instruunt sensu Numinis. Proinde hostili posita discordia, quæramus ex dictis divini Spiritûs explicationem: ut est apud Theodoretum Lib. I. Hist. Eccl. cap. VII.* Imò mos obtinuit in Conciliis pluribus atque illustrissimis, ut negotia Ecclesiastica tractarentur, *περικειµένῃ ἐν τῷ μέσῳ ἐν ἀγίῳ Πνεύµατι τῆ σπιῆ τῆ ἀγιοπάτρῃ καὶ ἀχράντῃ ἐυαγγελίῃ,* *jacente in medio & quasi in throno regali collocato venerabili sanctissimoque & incontaminato Evangelio, seu codice biblico.* Vid. *Conc. Chalced.* act. I. *Concil. Later. Martini I.* P. R. secret. I. *Concil. VI. Oecum.* act. I. Et quamquam non negandum sit, alterum quoque Codicem Canonum Ecclesiæ universæ ex Canonibus quinque conciliorum Topicorum, Ancyranis, Neo-Cæsariensis, Gangrensis, An-





Antiocheni, & Laodicensi, itemque Oecumenicorum conciliorum, Nicæni & Constantinopolitani I. compositum, mox Ephesinæ & Chalcedonensis Synodi Canonibus auctum, adjungi cœpisse: seriùs tamen hoc factum, nec nisi eo fine, ut si quando à disciplina & regulis Ecclesiasticis exorbitatum esset, hinc declararetur. Gravis quoque vox & sententia est Gregorii M. Episcopi Rom. quam Lib. XIX. Moral. cap. XIV. reliquit: *Qui ad veræ prædicationis verba se preparat, necesse est, ut causarum origines à sacris paginis sumat, ut omne, quod loquatur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis querat.*

§. XXXII.

Utinam verò satis constans & perpetua fuisset hæc religio abstinendi à fingendis revelationibus & certò cultûs genere; ac non potiùs artificium illud, in Ethnicis pariter atque hæreticis damnatum; etiam his, qui in Ecclesia præ aliis eminebant, & propagatores fidei, oppressores hæresium, vel in primis videri cupiebant, irreligioso ac pernicioso consilio æquè usurpatum fuisset! Atqui fatendum est, persuasum fuisse gubernatoribus Ecclesiæ, quòd *quandoque expediat, ad alliciendos hominum animos ad veram religionem, ut quod apud illos honori antea fuerat, (cùm extra Ecclesiam essent,) non tollatur penitus, sed sanctiore instituto ad consimilem adhibeatur cultum*: teste Polydoro Vergilio Lib. IV. de Invent. Rer. cap. XIII. Ex quo quidem librò & seqq. prolixè cognosci potest, quòd Sacerdotes Romani sua pleraque, (quæ tamen tanquam divinitùs sancita populo commodabant,) ex institutis moribusque priscorum Gentilium mutuati fuerint. Quibus addi possunt, quæ Baronius habet T. I. Annal. ad A. 44. §. 88. Parum verò interest, sive recens  
fin-



fingas, sive ad imitationem aliorum figmentorum proponas, sub specie revelationis divinæ, quæ ad religionem pertinent.

§. XXXIII.

Quod si peculiariter ea, quæ ad cultum sanctorum atque imaginum attinent, spectemus, Sunt ista, Erasmo teste, *Vestigia veteris paganismi*. Olim in sacris ludis circumferebatur Bacchus, Venus, Neptunus, Silenus cum Satyris, & difficilius erat in Christianorum vitam mutare professionem quàm publicam consuetudinem. Itaque religiosi Patres arbitrabantur magnum esse profectum, si pro talibus Diis circumferrentur statuae piorum hominum, quos miracula declarabant regnare cum Christo: si superstitiosa consuetudo cursitandi cum facibus in memoriam raptæ Proserpine, verteretur in religiosum morem, ut populus Christianus cum accensis cereis conveniret in templum, in honorem Mariæ virginis: si qui prius in morbis invocabant Apollinem aut Æsculapium, nunc invocarent sanctum Rochum, aut Antonium: si quæ prius petierant uterum ac felicem partum à Junone & Lucina, peterent idem à sancto Judoco, aut alio quovis Divorum: si qui consueverant rem domesticam tutandam & augendam Lari, Mercurio aut Herculi commendare, committerent S. Erasmo aut Nicolao: si nauta pro Venere & Geminis invocarent Virginem Matrem, eique pro impiis hymnis cantarent nauticam cantionem, Salve regina. Si qui segetem stultissimis ritibus lustrare consueverant, aut Cererem puerorum ac puellarum captu delinire, circumferrent per agros vexillum crucis, hymnos modulantes in laudem Dei ac divorum: si pro Jove sospitatore, miles ingressus bellum sese committeret divo Georgio aut Barbara: si civitates singule pro tutelaribus Diis adoptarent Bauonem, Marcum aut alium





alium quempiam è numero discipulorum Christi: si qui po-  
pismatis aliisve profanis ac superstitiosis remediis fulmen ar-  
cere, aut procurare consueverant, sonitu consecratarum no-  
barum, aut suffitu consecratarum frondium idem facerent:  
si qui prius magicis artibus dolori cordis medebantur, jam  
admoto codice Evangelico mederentur: aut qui post audi-  
tum primum in Majo coccycem, consperso per cubiculum  
pulvere, quem circumscripto dextripedis vestigio sustulis-  
sent, pulices ac pediculos profligare consueverunt, idem  
facerent illatâ divi Francisci tunicâ: si quis capitis im-  
petigini & alopeciiis superstitiosis remediis subvenire con-  
sueverant, idem facerent admoto pectine, qui fuit Christo  
cum matre communis, quem audio Treveris etiam nunc  
ostendi: si qui ad bellum se gladiis fortunatis & indusiis  
incantatis solent armare, jam sese munirent ligno crucis.  
Hæc Erasmus in libello de Modâ orandi Deum.

§. XXXIV-

Purgatorii ac Missarum pro defunctis ideò habenda-  
rum, itemqve Indulgentiarum, quanta sit celebritas,  
quamque firma animis hominum facta persuasio, ne-  
mo est, qui nesciat. Atqui etiam adversariis B. Luthe-  
ri, & nostris, ipsa vis veritatis expressit eam confessionem,  
quâ olim Christianos primos, ac revelatione Apostolis  
factâ satis instructos, ista ignorasse; eadem verò successu  
temporis, ad similitudinem eorum, quæ apud Ethni-  
cos vigeabant, in Ecclesiam introducta, & sub qualicun-  
que revelationis specie persuasa fuisse, nihil tergiversan-  
tes perhiberent. Magnum est nomen *Johannis Fischeri*,  
Episcopi *Roffensis* & *Academiæ Cantabrigiensis* Cancel-  
larii; qui adversus Lutherum publicè scripsit. Is autem  
art. XII. ita differit: *Multos fortasse movet, indulgentiis  
non multum fidere, quòd earum usus in Ecclesia videatur  
fuisse recentior, & admodum serò repertus apud Christianos.*

D

Qui-





Quibus ego respondeo, non certò constare, à quo primùm  
tradi cœperunt. De purgatorio apud priscos nulla vel ra-  
rissima fiebat mentio. Sed & Græcis ad hunc usque diem,  
non est creditum, purgatorium esse. Nec tam necessaria  
fuit sive purgatorii sive indulgentiarum fides in primitiva  
Ecclesia, atque nunc est. Quamdiu nulla fuerat de pur-  
gatorio cura, nemo quesivit indulgentias. Nam ex illo pen-  
det omnis indulgentiarum existimatio. Si tollas purgato-  
rium, quorsum indulgentiis opus erit? Atque hæc verba  
sua faciunt *Polyd. Vergil.* l. c. Lib. VIII. Cap. I. p. m. 524.  
525. & *Navarrus*, Canonista celeberrimus ac R. P. Pœ-  
nitentiarius. Tom. III. Comment. de Jubil. & Indulg. se-  
ptimo Notabil. Art. 5. & 6. Hanc tamen, antiquis Chri-  
stianis ignotam, doctrinam de purgatorio ex consensu  
gentium universali probare conati sunt *Bellarminus* lib. I.  
de purgatorio cap. XI. §. Tert. Ratio. *Petrus Thyraeus* ap-  
pend. II. lib. de Spirit. apparit. cap. V. *Laur. Beyerlinck.*  
conc. Sel. XXVIII. pag. 524. seqq

§. XXXV.

Possunt quoad hæc atque alia videri, quæ college-  
runt *B. Chemnitius* in Exam. Concil. Trid. & *B. Gerhar-  
dus* in Confess. Cathol. passim: *B. Nicol. Hunnius* de A-  
postasia Rom. Eccl. Cap. IV. ubi communionem hodie-  
næ Romanæ Ecclesiæ cum Ethnicismo ostendit; & libel-  
lo altero, quò probat, Ecclesiam Romanam non esse Chri-  
stianam Cap. VII. *Petrus Molinaus* de Novitate Papismi  
passim. *Franciscus Croius* in Roma paganizante, & nu-  
per *Joh. Lodew. Bacher*, in libro: *Roomsch. verkehrte  
Geddsdienst/ &c.*

§. XXXVI.

Ut autem his, quibus gentilium sacra suspecta aut  
exosa fuerunt reddita, tamen sub ratione revelationis di-  
vinæ





vina persuaderi possent illa, quæ gentilismum redolebant, neque fundamentum habebant in vera revelatione divina Scripturis *θεοπνευστις* contenta: cum nec expressis verbis inde prælegi, neque per argumenta ex verbis expressis solidè deducta demonstrari possent: ideò variæ revelationum species, sive classes, ab illis quæsitæ atque adhibitæ fuerunt, quarum nomen prætendi, & auctoritas movere credulos mortalium animos posset.

*διὰ τὸν πῶν τὸν ἄλλοις* §. XXXVII. *ἡ δὲ ἐκείνη ἡ ἀποκάλυψις*

Et quanquam non dicamus, eos, qui primas in Ecclesia tenebant, studiosè excogitasse aut finxisse revelationes ad fallendum populum; certum tamen est, non esse à culpa alienos, qui cum obligati essent, ad omnia figmenta ac revelationes spurias ac dolosas ab Ecclesia arcendas, tales tamen, undecunqve afferrentur, non solum admittebant atqve ad eas connivebant, & ut vires eundo acquirere possent, indulgebant; sed suo patrocinio fovebant, ac sua auctoritate nonnunquam confirmabant.

*ἡ δὲ ἐκείνη ἡ ἀποκάλυψις* §. XXXVIII. *ἡ δὲ ἐκείνη ἡ ἀποκάλυψις*

Notum est, quàm sollicitè olim custodiverint primorum Seculorum Christiani Canonem Scripturæ, quæ vocabant; seu libros illos V. ac N. T. qui indubitata *θεοπνευστις* testimonia habebant, ab aliis omnibus scriptis distingvendos, ita ut cum norma doctrinæ *ἀποστόλων* producenda esset, nihil prætereà associari paterentur. Notum autem etiam est, quomodo non tantum ad libros V. T. Propheticos alii, licet suo modo utiliter usurpandi, non tamen indicia *θεοπνευστις* habentes; postea sensim in partem Canonis adscisci, ac denique dictatoria velut auctoritate pro Canonicis obtrudi cœperint. Nec de nihilo est eorum sententia, qui causam scrutantes, quæ Patres Tridentinos moverit, ut tantum sibi sumerent,





merent, seque unanimi veterum majorumque suorum consensui opponerent; eam amplectuntur, quod animadverterint callidi illi Patres, Principia doctrinae sibi, quoad fieri posset, extendenda esse, ut dogmatum in Scripturis verè θεοπνεύστοις fundamentum non habentium, saltem alicundè probatio sive prætextus aliquis peteretur.

§. XXXIX.

Illud verò etiam magis improbandum est, quod sub ipsis sanctissimorum Apostolorum nominibus ea commendari cœperunt, quæ neque Apostolum neque Apostolicum virum parentem habere multis argumentis cognoscuntur; verum ad novitiam Ecclesiasticæ doctrinae ac disciplinae formam, venerabili specie proponendam, servire, ac veram antiquitatem simplicitatemque Christianam sectantibus objectari posse videbantur: quemadmodum de *Constitutionibus & Canonibus Apostolicis* Pseudepigraphis ostendit *Johannes Dalleus* libris tribus, ubi ea, quæ *Robertus Cocus* & *Andreas Rivetus* aliàs docuerunt, prolixius exponuntur & vindicantur.

§. XL.

Quid autem de Traditionibus ἀρχαίους dicamus? ad quarum originem investigandam face & viatico, ut ille ait, opus est: ac si ostendendæ sint traditiones his, qui certiores fieri cupiunt; sæpè admodum in recentioris cœtus, qui Ecclesiæ nomen καὶ ἐξουσίαν sibi vendicat, testimonio aut assertione unicè acquiescendum est. Vid. *Wilb. Nigrinus* de Papist. Scripturæ contentu, arg. VII. n. IV. p. 195. seqq.

§. XLI.

Sed nec fatis fuit his insistere; nisi aliæ revelationes plures in subsidium vocarentur. Ita enim *S. Benedicti*, *S. Romoaldi*, *S. Brunonis*, *S. Dominici*, *S. Francisci* ordines

ab





ab illis sanctis viris Spiritu Sancto docente excogitatos & institutos, postea à Papa approbatos, scribit *Bellarminus* Lib. III. de Rom. Pontif. cap. XVIII. §. *tertio peccat* &c: Similiter *Cultus reliquiarum* ex revelatione divinitus facta, idem probat lib. II. de Eccl. triumph. cap. III. n. 6. Neque ignotæ sunt revelationes *Birgittæ & Catharinæ Senensis*: quas tamen inter se contrariari, non solum nostris innotuit; sed jam pridem *Antoninus*, Archiepiscopus Florentinus observavit. Part. III. summæ tit. XXIV. cap. XI. §. 3. Confer B. *Conringii* Animadversiones in Novenam S. Antonii de Padua pag. 4. seqq. pag. 11. & p. 36. quas etiam à Censuris *Dionysii Werlensis* prolixè vindicavit, in peculiari scripto Apologetico.

§. XLII. *Sequuntur* apparitiones sanctorum angelorum, hominumque mortuorum, quibus tam multa quoad certos cultus viventibus præscriptos tribuuntur, quasi ab illis profecta, è tripode, quod ajunt, dicta, seu Dei unius ac summi indubitata verba essent. Sanè his invocatio Sanctorum, & imprimis purgatorii assertio, maximè nixa est. Non accusabimus illos, qui primi horum dogmatum fundamenta jecerunt, quòd tales apparitiones commodi sui causâ finxerint: quanquam de Græcis conflet, quòd Latinos accusaverint, quasi *purgatorium propter lucrum invenissent*: uti refert Cardinalis *Aureolus* in IV. sent. dist. XXI. art. I. Quodque donaria Sanctis oblata & peregrinationes ad loca Sanctorum, & reliquiarum pretio emtæ, avaritiæ Sacerdotum serviant; multæ extant, & graves ac repetitæ querelæ. Sed mittamus hæc. Imò quòd *Gregorius M.* in Dialogis ex apparitionibus Spectrorum, fundamenta purgatorii petiit; licebit, opinor, accedere sententiæ *Melchioris Cani*, Episcopi Canariensis,

D 3

qui



qui Lib. II. de Locis Theologicis cap 6. fatetur, *Gregorium* in Dialogis, & *Bedam* in historia Anglorum, aliquando dormitasse, & quamvis viros alioqui gravissimos, in describendis tamen prodigiis quibusdam ac miraculis, curam in eligendo non eam, quam oportuit, adhibuisse: & hoc quidem magnis quandoque viris contigisse, ut in suis relationibus plus indulgisse videantur vulgo fidelium, sparsos rumores libenter excipienti, de ejusmodi prodigiis, quam proprio judicio tribuisse. Aut si neque id placet, notum etiam est, quod Dialogi illi, *Gregorio* adscripti, aliis visi fuerint *supposititii*: quod *Robertus Cocus* probare nititur in Censura Scriptorum. p.m. 413. Ut adeo, quicquid sit de *Gregorio* & coævis aliis viris bonis, qui per imprudentiam talia amplexi fuerant; facile nihilominus admitendum sit, quod sequior ætas vitiosior, hâc occasione ad quæstum usâ, cupidè ista arripuerit, atque auxerit & propagaverit, quæ sub specie revelationis occupare animos hominum consueverant.

§. XLIII.

Dolendum autem vel maximè est, quod hâc occasione hosti humani generis, *Satanæ*, via aperta est, ad ludos hominibus faciendos. Ipse *Maldonatus* Comment. in *Luce* cap. XV, 28. licet contra veteres Ecclesiæ Doctores, *Tertullianum*, *Atbanasium*, *Chrysostomum*, *Isidorum* & *Theophylactum*, asserere ausus esset, *animas mortuorum viventibus apparere*; vi veritatis tamen coactus concessit, *plerumque demonem esse, qui se animam esse mentiatur*. Spiritus autem, qui se postulant adorari, malos & fastuosos illos esse, qui divino honori detrahunt; benè observavit *B. Conringius* l. c. p. 21. 22. 23.

§. XLIV.

Aliàs autem etiam suppetunt exempla hominum, vel  
fu-





suapte ingenio, vel inito cum Satana pacto aut collusione, apparitiones quasdam & revelationes invenientium, quæ ad Ecclesiam ejusque gubernationem, aut dogmatum controversorum vel cultus alicujus confirmationem spectarent. De *Benedicto Cajetano*, Pontifice Romano, qui cum ea dignitate nomen Bonifacii VIII. assumpsit, constat, quomodo *ambitionis causâ* antecessorem suum, *Cælestinum V. deceperit*, dum eum magistratu se abdicare compulit. Sunt enim, qui scribant, Bonifacium immisisse subornatores clanculùm quosdam, qui noctu, dimissâ quasi cælitus voce in cubiculum Cælestini, hominis simplicis, ei persuaderent, ut pontificatum dimitteret, si salvus fieri vellet: quod *Platina* testatur in vita. p. m. 255. 256. Quomodo parochus quidam sub diem parasceves clâm immiserit in cœmiterium vivos cancos, affixis ad latus cereolis ardentibus; postridie autem è suggestu docuerit populum, has esse defunctorum animas, quæ missis & eleemosynis flagitent à cruciatu liberari: mox autem fucus fuerit proditus, inventis uno alterove cancro inter rudera facem extinctam gestantibus, quos parochus non collegerat; ex *Erasmio* refert *J. Wolffius* Lect. Memor. Centen. XVI. p. 146. atque addit aliud de eodem Parocho, quod cum in cubiculum neptis sibi conviventis ac benè nummata, noctu irrepere, ac linteo involucro spectrum mentiri consuevisset; illa verò cognarum alium clâm rogasset, ut unam noctem secum esset tectus in cubiculo; atque hic fuste armatus, pro exorcismis, in lecto sese occultasset: parochus, spectrum simulans, accesserit, triste quiddam mugire cœperit, exorcistam quoque excitatum voce gestuque terrere voluerit, ab eo autem correptus, ac fuste dolatus fuerit; imò facile occisus, nisi mulier pugnam diremisset. Magis autem  
famo.



famosa est tragoedia *Bernensis*, quam Fratres Dominica-  
ni, Ordinis sui præstantiam adversus Franciscanos arte  
diabolicâ propugnaturi, ac populo persuasuri, detestan-  
do consilio auspiciati sunt, simplicem quendam hominem,  
*Jeserum*, nequitia instrumentum nacti, tandem verò,  
fraude proditâ, pudefacti publicè & extrema passi: pro-  
ut refert *Nicol. Basilius* in addit. ad *Nacleri Chronogr.*  
fol. m. 1006. plenius autem recenset peculiaris *libellus*  
*de quatuor Hæresiarchis Ordinis Prædicatorum de observan-*  
*tia nuncupatorum, apud Suitenses in Civitate Bernensi*  
*combustis* A. MDIX. quem videtis apud *Hottingerum* P.V.  
*Hist. Eccl.* p. 355. seqq.

§. XLV.

Non melioris notæ est artificium illud, quò imagi-  
nes, ad cultum propositæ, sic aptatæ sunt, ut quasi per  
miraculum, seu virtute supernaturali, moveri, annuere,  
abnuere, flere, loqui &c. atque ita homines in his, quæ  
ad cultum sacrum seu religiosum pertinent, quasi divi-  
nitùs docere viderentur. Juvat hanc in rem audire B.  
*Nicol. Hunnium* Lib. quo probat Ecclesiam Rom. non es-  
se Christianam Cap. IV. §. 19. ubi *monumentum fraudis*  
*istiusmodi* exhibet, quod *Lubeca* in Cathedrali templo  
conspiciatur; *Ubi Mariæ simulacrum* (verba ejus sunt)  
*disco mobili seu rotabili impositum, à tergo sic trahi potest,*  
*Et (quod res ipsa manifestè arguit,) ab avaris Sacerdotibus*  
*quondam traheretur, ut supplicantes modò averfaretur,*  
*modò eosdem, sed liberalitatem spondentes, gratiosè re-*  
*spiceret, addito gratiæ signo, cymbali tinnitu.* Hæc ille.  
Confer *Polydor. Vergil.* Lib. VI. cap. XIII. sub finem.

§. XLVI.

Sed cum hæc memoramus, dissimulare equidem  
non possumus, quomodo pridem atque nuper in ipsa Ec-  
cle-





clesia Latina talibus conatibus obviam itum fuerit. Jam seculo quinto currente acciderat, ut in erectione altarium ac basilicarum, velut ad inventas Martyrum reliquias, æmulatione quadam certaretur. Sed qui in Concilio *Carthaginensi* quinto congregati fuerunt Episcopi LXXIII, attendere jusserunt, ut, *quæ per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubique constituebantur, altaria omnimodè reprobentur.* Postea verò, introductis licet falsarum revelationum speciebus quibusdam, tamen Auctor Oneris Ecclesiæ, *Johannes Episcopus Chemensis*, cap. I. §. 9. graviter scripsit: *Revelationes quorundam sanctorum seu devotorum hominum noviter reperta non omnimodam certitudinem asserunt; quinimò bujuscemodi revelationes inversis vel falsificatis literis quandoque corrumpi vel nomine alterius consingi seu peregrino titulo adscribi possent.* Quandoque etiam *Satan* se transfigurat in angelum lucis, ut hominibus etiam justis immissiones sub fuco revelationum faciat, quò eos falsis opinionibus extollat ad gloriam revelationum &c. Cui jungendus est *Ludovicus Vives*, qui Lib. II. de Verit. Fid. Christ. cap. XIII. p. m. 301. ita disserit: *Est veritati res damnosissima (ad nos quidem) mendacium specie veritatis tectum. Itaque fidem verorum miraculorum & divinorum magnoperè elevat ac diminuunt falsa miracula, per Demones & Demonum ministros edita. Quò execrabiliores sunt, nempe Satane similes; ii, qui in templis nostrorum divorum fingunt miracula propter questum. Efficiunt enim, ut quum eorum vanitas est patefacta, de veris miraculis incipiant homines dubitare.* Et *Erasmus*, qui in Argum. Lib. Confess. Augustini. *Quid eos commemorem, ait, qui fabulis vanis & miraculis fictis memoriam eorum, quibus favent, student populo commendare; nonnunquam ea laudantes, quæ*

E  
lau-



laudatus non fecit unquam aut probavit? Et arbitror fu-  
isse, qui pium existimârunt, animum hujusmodi fucis ad  
religionis studium accendere. Ego semper execratus sum  
hoc Rabularum genus, qui non norunt veram pietatis ima-  
ginem depingere, sed mendaciis fallunt discipulos ejus, qui  
est veritas. Nec malè Guilielmus Estius in III. Sent. distinct.  
3. cum laudasset dictum Bernhardi, quò docet, non moveri  
se revelationibus illis, quibus certa non invenitur favere au-  
ctoritas; addit: Si enim Petrus Apostolus revelationem  
sibi factam ita allegabat, ut tamen remitteret fideles ad  
sermonem Propheticum, tanquam firmiorem, quantò ma-  
gis ab obscuris & suspectis revelationibus ad auctoritatem  
Scripturæ & normam antiquæ traditionis remitti nos conve-  
nit. Non malè, inquam, nisi quod traditio Scripturis,  
quoad dogmata, contradistingvi non debuit.)

§. XLVII.

Crederes, addi posse ipsum Concilium Tridentinum,  
cujus in Decreto de Purgatorio Sess. XXV. severa est sen-  
tentia: Incerta, vel quæ specie falsi laborant, evulgari, ac  
tractari, non permittant Episcopi. Ea verò, quæ ad cu-  
riositatem quandam aut superstitionem spectant, vel tur-  
pe lucrum sapiunt; tanquam scandala & fidelium offendi-  
cula prohibeant. Cui respondet ea, quæ extat in Decre-  
to de Invocatione Veneratione & Reliquiis Sanctorum &  
sanctis Imaginibus, Sess. eadem: Si quæ abusus irrepse-  
rint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cu-  
pit, ita ut nulla falsi dogmatis imagines, & rudibus pe-  
riculosi erroris occasionem præbentes statuatur. Et post-  
paulò statuit Synodus, nulla admittenda esse nova mi-  
racula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi recognoscen-  
te & approbante Episcopo, qui simulatque de novis Reli-  
quiis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theo-  
logis



logis & aliis piis viris ea faciat, quæ veritati & pietati consentanea judicaverit. Nempe in his omnis licentia fingendi revelationes, aut revelationum agnoscendarum signa & motiva prohiberi atque auctoritate publicâ excludi videtur.

§. XLVIII.

Utinam verò, sicuti dicta hæc novos ausus privatorum hominum coërcent, ita, quæ præter Scripturam undecunqve petita, ac falsis revelationibus suffulta deprehenduntur, eadem operâ à dogmatibus cultibusque verè revelatis distincta, ac de revelationibus mendacibus fideles admoniti fuissent? Sed, quando & purgatorium ipsum & cultus religiosus Sanctorum ac reliquiarum itemque imaginum, talibus falceris innititur; quidni phrasi forensi de illis Patribus pronuncies, *protestationem esse facto contrariam*. Ita enim loquuntur de *incertis falsis curiosis & superstitiosis*, ut tamen, *quæ illa sint*, non exprimant. *Si enim, quæ talia sunt omninò inde eximerentur, unò momentò totum purgatorium evacuetur. Et tamen illa ipsa non damnant, sed tantum prohibent, ne in popularibus concionibus evulgentur*: scribit in Examine istius decreti B. M. Chemnitius P. III. p. m. 139. Et postquam de cultu Sanctorum, Reliquiarum & Imaginum disseruisset, monet Lectorem, ut videat, *quomodo crassis superstitionibus σοφῶς Φαρμάκῳ mederi καὶ τὰ σκληρὰ μαλθακῶς λέγειν*, & tamen ipsos superstitionis nervos retinere conentur.

§. XLIX.

Certè parùm abest, quin hoc omne, quicquid est, eò tendat, ut non tam prohibeatur, fingere revelationes; quàm caveatur, ne cum securius proponuntur, damnum aliquod in eos redundet, quorum interest, populum in





obsequio superstitioso contineri. Scilicet juxta illud *Plauti* in *Captivis Act. II. Scena I. Doli non doli sunt, nisi astu colas, sed malum maximum, si id palàm provenit.* Aut sicut *Lacedæmonii* furta ingeniosa laudârunt; ea verò tantùm, quæ ab hebetioribus, atque in furto suâ imprudentiâ deprehensis facta erant, puniendâ putârunt.

§. L

Fac autem denique, illos, qui populum à suis decretis pendere jubent, ipsos quoque esse persuasos, quasi species illæ revelationum, à Scriptura diversæ, non falsæ, sed reverà divinæ sint: sanè non ideò negandum est, quòd omnis illa tantæ superstitionis in populo vigentis culpa, in illos redeat, qui cùm meliora cognovisse ipsi, & populum monere poterant ac debebant; tamen in utroque deficiunt. *Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit:* nota est sententia Juris Canonici Decret. V. de regulis juris tit. XLI. cap. *Quamvis.* Et annotat Glossator: *Quia Pastor seu pralatus inquirere debet subditorum excessus: aliàs sanguis eorum de Pralatorum manibus requiretur; & sic non habebit excusationem: pastor enim, qui tacet, consentire videtur; quare non potest uti pro defensione sua verbis Apostoli: Munda sunt manus meæ à sanguine: unde & tales deponi debent propter negligentiam. Nam pastor tenetur de custodia; & si dicatur, quòd dolo ejus periit, & ipse neget, ipsi incumbit probatio, cùm ipse ratione officii sui debeat custodiam habere. Et si dicit amissam ovem, probet ille dolum abfuisse: Sicut argentarius probare debet, se amisisse rationem casu, ruina, vel incendio: idem (valet) in custode carceris: & idem in deposito.* Itaque, si vigentibus in Ecclesia revelationibus fictis, aliqui, vero objecto formali fidei destituti, in superstitionem aut idololatriam; alii, fraudem animad-

ver-



vertentes, in Atheisimum prolabantur; difficillimam profectò rationem reddituri sunt illi, qui de vero & unico certo principio ac norma fidei & doctrinæ Christianæ auditoribus suis non ita, uti par erat, prospexerunt.

§. LI.

Quod si falsarius litterarum Domini Papa non potest ab alio, quàm à domino Papa absolvi, nisi in articulo mortis: juxta Glossam ad Capit. Dura sepè. IV. de crimine falsi, tit. XX. Lib. V. Decret. Quis hominum eos absolvet, qui sub nomine divino revelationes mentiuntur, aut mentientibus colludunt? Et quando postea in textu Cap. V. *Ad falsariorum confundendam malitiam*. l. c. scribit Papa: *De communi fratrum nostrorum consilio duximus statuendum: quoniam si falsis literis se usos dixerint ignoranter, eorum sera pœnitentia evitare nequibit pœnas inferius adnotatas. Nos enim omnes falsarios litterarum nostrarum, qui per se vel alios vitium falsitatis exercent, cum fautoribus & defensoribus suis, anathematis vinculo decernimus notandos: profectò existimandum non est, minus periculi imminere falsariis revelationum Dei, eorumque fautoribus ac defensoribus.*

§. LII.

Claudemus hanc tractationem, ubi prius attulerimus verba egregia, quæ *Autor operis Imperfecti* homil. XLIV. & *Job. Ferus* in Comment. in *Matth.* cap. XXIII. habent: ubi uterque expendit sermonem Christi, Pharisæos reprehendentis, qui in faciendis profelytis operam multam & solertem, nec tamen Ecclesiæ utilem, sed perniciosam præstiterant; quæ ad præsens negotium facile applicari possunt, ac meritò debent. *Qui propter Deum* (ait ille) *aliquem velit corrigere, aut qui propter vanitatem, ex ipsis actibus docentis ostenditur. Quando enim ipse in sanctitate* (sine do-

lo




lo, sincerè rem agens, & veræ revelationis tenax ) *conversatur, cognosce quoniam propter Deum vult errantem corrigere. Si autem ipse in malis versatur (fraudibus, ut ut sub specie aut prætextu boni finis, utens) quomodo alterum propter Deum corrigere valet ad bonum? Nunquid magis misericors potest esse aliquis alteri, quàm sibi: aut qui seipsum mergit in gurgitem peccatorum, quomodo alterum de peccatis valet eripere?* Alter autem: *Hæc, inquit, in speciali dicta sint tibi, qui ad vitæ suæ institutum adducunt alios, nihil aliud quærentes, quàm ut ipsis adhaereant, nihil curantes eorum vel salutem vel damnationem. Summa, Christus animarum salutem quarit, (non fictis revelationibus, sed verâ:) quem qui in hoc imitatur, is demùm Christianus est: qui secus autem, ac tantùm sua quarit (hic enim mos est eorum, qui dolis in hoc negotio utuntur) is Phariseus est, imò Phariseo pejor. Ita Ferus. At nos precamur: Domine sanctifica nos in veritate tua. Verbum tuum veritas est!*

Ad  
Clarissimum & Doctissimum  
DN. M. JOHANNEM LEONHARDVM ROESNERVM,  
S. Theol. Cultorem eximium,  
Disputationis hujus Auctorem.

**V**ult Deus agnosci: liquida vult mente vocari.  
Non illi fraudes præstigiæ quæve placent.  
Si, qui lucrandis quærunt animabus honorem,  
Credere nolentes decipere arte velint,  
Respuit Omnipotens: gravis & mentem subit ira.  
Hostis nempe notam cultor ineptus habet.  
At Te, qui rectè secernis sacra profanis,  
Numinis atque hominum gratia magna manet.

*gratul. scrib.*


JOH. GVILIELMVS BAJERVS, D.  

















B.I.G.

Farbkarte #13

19

ANTIVM REFRIGERIO ADSISTENTE  
SSERTATIONEM  
OGICO - HISTORICAM

DE  
GATIONE FIDEI  
EVELATIONES  
FICTAS

clesiæ Christianæ aliena,

SUB PRÆSIDIO  
NIS GVILIELMI BAJERI  
PROF. PVBL. FACVLT. THEOL.  
h.t. DECANI,

*Præceptoris sui omni observan-  
tu aternum devenerandi,*

publicæ ventilationi sistit  
CTOR ET RESPONDENS  
LEONHARDVS RÖSNERVS  
TDORFFIO-NORICVS.

Decembris A. C. MDCLXXXVI. Dec. 1686

J E N Æ,  
TERIS JOH. ZACH. NISII.

